

# Karol Marcinkowski

---

## De fontibus indicationum generatim

---

Acta Medicorum Polonorum 2, 100-113

---

2012

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

1888



43424  
I

N<sup>o</sup> 1046

Generaliora de indicationibus recte  
instituentis.

§. I. Summus medicarum scientiarum finis, hic scilicet, ut saluti recuperandae opem ferant, pendet et a recta morborum cognitione, et a conveniente eorum cura. Altera praesertim naturae contemplatione nititur, alteri regulae quaedam, quomodo auxilium inveniatur, ex ordinata meditatione ortae, indicationes dictae, fundamento inserviunt. Sicuti enim, ut antiqua medicorum comparatione utar, in proelii loco primum est ducis negotium quin hostis perscrutetur conditionem, ut hac instructus ea, quibus ad eum debellandum opus est instituire possit: ita et medicum per rectam observationem prius morbi cognitionem acquirere sibi oportet, tum demum ex ea ratiocinando recta in curationem consilia capere. Itaque indicationes ex illis ratiociniis ortae nil aliud nobis videntur, nisi iusta inter pathologiam et therapiam ad

De fontibus indicationum generatim

Dissertatio inauguralis medica

Guam consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis In Universitate Literaria Berolinensi ut summi In medicina et chirurgia honores rite sibi concedantur.

Die il. M. Aprilis A. MDCCCXXIII.

H.L.Q.S.

Palam defensures est auctor Carolus Marcinkowski Posnaniensis.  
Opponentibus : Baum, med. dr., Eckard, med. dr., Strempe, med. dr.  
Formis Brüsckianis.

Thesis defendendae.

- I. Sputa phthisicorum a pure valde different.
- II. Causa proxima paralyseos non solum nervis sed et musculis innese potest.
- III. Omnis febris salutem molitur.

Generaliora de indicatibus recte instituendis

§. 1. Summus medicarum saientiarum finis, hic scilicet, ut saluti recuperandae opem ferant, pendet et a recta morborum cognitione, et a conveniente eorum cura. Altera praesertim naturae contemplatione nititur, alteri regulae quaedam, quomodo auxilium inveniatur, ex ordinata meditatione ortae, indicationes dictae, fundamento inserviunt. Sicuti enim, ut antiqua medicorum comparatione utar, in proelli loco primum est ducis negotium quin hostis perscrutetur conditionem, ut hac instructus ea, quibus ad eum debellandum opus est instituere possit: ita et medicum per rectam observationem prius morbi cognitionem acquirere sibi oportet, tum demum ex ea ratiocinando recta in curationem consilia capere. Itaque indicationes ex illis ratiociniis ortae nil aliud nobis videntur, nisi iusta inter pathologiam et therapiam ad practicum usum intercedens ratio; explent enim lacunas, quas a cognitione morborum ad curam procedentes conspicimus; difficilem conciliant transitum a contemplatione morborum ad negotium illud, quod servandae aut restituendae sanitatis causa suscipit medicus.

§. 2. Prima igitur praxeos fundamenta, ut optime dicit Baglivus (Praxeos medic. Lugund. 1710. Libr. II. Cap. X. §. 1.) sunt indications. Ab his scilicet rectus medicaminum usus, quails solummodo prodesse potest, pendet. Quae enim

profecerunt, ob rectum usum profecerunt monet Hippocrates in libro de arte. (Hipp. Opp. Ex edition Foesii. Sect. I. p. 4. V. 36.) Namque quotidiana nos docet experiential, nullum existere morbum, qui in diveris hominibus unam eandemque prae se ferat aegritudinis speciem, iam diversa individuorum indoles impedit, quominus id fieri queat. Facillime ideo fieri potest, ut quae alteri sint saluberrima. Alteri, licet non illico, in ulteriori certe morbi decursu, aut etiam in sequelis detrimentum afferant. Nihil hac de causa certius, nil naturae convenientibus censendum, quam ut singulo quomcunque casu certis ducti regulis quid naturae coveniat, quidque illi prosit, cognoscamus. Atque hinc maximum inter medicum rationalem et empirium oritur discrimen, quippe qui coecus, nullius sibi suscepti negotii rationis conscius in obscuritate et dubitatione huc illucque errat, totumque curationis auxilium forti relinquit fortunae ; qui nunquam ad regulas ex rei ipsius natura desumtas agit, sed properus specifica, ut dicit, captat remedia, quae forte in simili, ast nunquam in eodem casu utilia invenit. Quo igitur modo iis, quae ex primo medici postulatur officio, prodesse vel saltem non nocere, recte sufficere potest, si praeceptorum therapiae experts, tanquam in ignota versatur regione, sine duce, modo hanc modo illam ingressus viam, inscius num periculum immineat, nec ne? Aliud etiam est medicorum genus, et quidem empiricis plane oppositum, nimirum quod omne curationis consilium ex morborum explicatione falsis innixa hypothesibus depromit. Quae a me non ita dicta intelligantur velim, quasi omnem speculationis viam in medica arte noxiam ideoquae ommittendam censeam; persuasissimum enim habeo eam ad medicinam promovendam haud parvum exhibere fontem. Nam quemlibet artis historia docebit, per philosophiam, cui omni aevo accomodabatur medicina, singulas ipsius scientias plus simplicitatis firmitatis atque maiorem inter se consensum attigisse: praesidia, quibus et ad totius artis stabilius fundamentum pervenire posse existimo. Sed cum nos vitae et diversarum eius coditionum sanitatis atque morbi clara fugiet cognitio, cum praecipue hac de causa nulla sufficiens tam variarum aegritudinis specierum dari possit explicatio, cumque omnes huiusmodi vanis nitantur coniecturis, facile apparet, omnes medicinae theorias nullus fere ad practicum usum esse utilitatis immo ad innumerros deducere errores, quod etiam cuiuscunque temporis exprientia sat superque comprobavit. Ex his concludere licet, ut ad propositum nostrum revertamur in indicationibus inveniendis maxime cavendum esse, ne ad ea sollicitemur, quae iam Baglivus de pernicioosa hypothesium cupiditate conquestus inania speculationum argumenta nominavit.

§. 3. Quae omnia hucusque a nobis prolata, ea praecipue spectant, a quibus in statuendis curationis principiis cuilibet sit abstinendum : nunc pro viribus methodum, qua medicus, ut ad rectam indicationum formationem ducatur procedere debeat, brevi exponere conabimur. Omnis curationis regula, ut finem suum adsequatur niti debet clara et status morborum et remediorum efficaciae notione. Hanc nobis nullo alio modo tutius acquirere possumus, nisi accuratissima

observatione cuiuscunquae casus, quem igitur diligentis studiorem faciamus oportet, et recta probatione omnium quaecunque vera experientia de diversis medicaminum viribus docuerit. Imprimis observatio circumspectione amplissima fiat necesse est, nihil omittat, quod ad singulos casus accurate eruendos conferat, ut accuratissimam obiacentis morbi imaginem assequatur medicus, eam nimirum, quae sola rectam curationem firmat. Recte hanc opinionem in libro de medico exponit Hippocrates, cum dicat: «eum ad sanandum instructum esse medicum, qui morbum satis norit.» Luculentius insuper eandem comprobavit Sydenhamus his verbis: «atque adeo non semel mihi in mentem venit, quodsi morbi cuiuslibet historiam diligenter perspectam haberem par malo remedium nunquam non scirem afferre. (Sydenh. Praefat. Observat. Super morb. Acut.)». Perspecta aegritudinis specie, ad quam recta eorum, quae acciderunt notitia et eadem sensibus obviorum signorum observatio deducit, ad eruendam morbi naturam ratiocinium accedit. Cuius auxilio id etiam praeserim assequimur, ut inter singula aegritudinis phaenomena causalem detegamus nexum, atque essentialia a levioribus et fortuitis recte distinguere possimus. Sed cogitatio illa, quo certius propositum nanciscatur finem, a cognitis et veris ordiatur necesse est, atque lento gradu procedat, ut abscondita, quibus causae morborum insunt principia ad demonstrationis evidentiam provocet. Morborum tali modo instituta exploratio, luculenter medico ostendit omnia, quae laesionis naturam, causam, eo fine declarant, ut his perspectis consilium eius, quod praeter naturam in aegro mutatum est in naturalem statum reducendi capiat, quaeque generali nomine indicantium audiunt (J. C. Ackermann Institut. therap. gener. Norimb. et Altdorf. 1799. §. 26.). Haec igitur indicationum quasi elementa sunt, utpote quibus praecipue sisti debet medici iudicium, ut idonea cuique morbo opponenda remedia eligantur.

§. 4. Re generalis perpensa, tria in quocunque morbo invenimus, quae cum ad id, quod amplissima denominatione morbi voce designamus necessario pertineant, vera universalialia indicantia exhibent. Haec sunt, morbus, (interna scilicet corporis conditio, morbosam immutationem sistens), causa, et symptomata. (Sennert Instis. med. Lib. V. Part. II. Sect. I. C. II. de Indicantibus p. 981. ex edit. Witemberg. 1620). Quorum respectu generales nituntur indicationes in curationibus communibus ad exitum producendae. Generalis tamen illa explicatio, utpote quae ex morbo in universum, igitur ex eius generali notione sola mente percipienda desumitur, singuli cuiusque morbi curationi non proderit, nisi speciali eiusdem analysis ernatur, ideoque respiciat omnia, quae singulo cuique casui propria habentur, quibus vero non recte aestimatis speciales indicationes deerunt. Auxillis indicationum formandarum ideo omnia adnumeranda sunt, quae ex individuorum proprietate morborum speciei expediendae iuserviunt, aut etiam si morbo nondum existente medici negotium circa sanitatem conservandam morbosque praecavendos versatur, ad eorum conformationem conferre possent. Omnia ea partim ad vera supra nominata indicantia significanda et manifestanda necessaria sunt, partim

vero, cum, quod saepissime accidit ad auxilia ivenienda faciunt, indicantia ampliori nominis significatione appellari debent : utique autem ad curationem rectam et naturae morbi definitae convenientem instituendam necessario pertinent. Omnia ciusmodi, quorum aestimatio ad indicationes recte stabiliendas facit, generali fontium indicationum nomine comprehendere liceat. Quorum scilicet notitia non solum vera ostendet principia ad indicationem aliquam instituendam cohortantia, verum etiam eam praesertim exhibebit utilitatem, ut nostram intentionem dirigat in ea, quorum praesentia indicationes generalius eductas eo modo docet expolire, quo aptius singulis respondeant casibus. Igitur saepe cautelarum apparebunt spiecie, quibus quo magis obtemperamus, eo propius rectae accedimus curationi.

Nunc de his indicationum fontibus paulo fusius tractaturi ordinem quendam observare debemus; nullum vero rei ipsius indoli magis congruentem conspicimus, quam ut eos secundum pathologiae capita ex qua praesertim desumuntur seorsim recenseamus. Secundum hanc divisionem primum sermo erit de iis, qui ex praeteritorum in pathologia consideratione profinunt, tunc de iis, quos status praesens morbi cuiuscunque offert, tum demum de his, qui ex recta futuri aestimatione inveniuntur, qui omnes vero simul et quoad omnes, quoad ad se invicem habere possunt respectus considerati, illam in medico ad agendum ideam, quam indicationem dicimus, excitant.

### **Indicationes ex praeteritis in morbo petendae**

§. 5. Quae in morbo quocunque ad praeterita vulgo referuntur, universim tota, cum praegressae aegroti valetudinis atque singulae eiusdem proprietatis, tum variorum, quae extra aegrum sunt momentorum, quorum influxus, experientia teste, morbum praesentem provocare valet, complectitur notitia. Per prima in ipso aegro posita, praecipue eorum assequimur cognitionem, quae in corpore ad morbum provocandum dispositionem excitant, quaeque causarum praedisponentum vel seminiarum morborum nomine comprehendibus; altera causas occasionales continent. Ad practicum usum illa proxime proderunt, si de morborum praecautione agitur, (indicatio et curatio prophylactica) indirecte vero, si uque ad morbi, cui dederint principium, eruptionem negligerentur, et tunc demum, si id, quod ad propriam morbi naturam contulerunt respexeris, maiorem exigent obsevandi diligentiam. Causae externae removeri debent; (indicatio causalis) si vero influere desierint, medicum ad rectam effectus sui curationem ducunt.

§. 6. Omnium igitur primum, quod medicus, ut ad veram adversae valetudinis vel morbi naturam cognoscendam perveniat, respicere debet, est singularis cuiusque hominis status. Ad hunc etiam saepenumero tum in capiendo curationis consilio, tum in modo et via illud exsequendi diligenter respiciendum esse, ex ante dictis luculenter, ut credo apparet, et clarius ex sequentibus etiam



illucescet. De eo hic quidem sermo non erit quatenus singularis hominum ille status ad inveniendas indicationes faciat, qui talis sit indolis, ut diversis morbis expediendis ansam praebere possit, i.e. causam vulgo proegumenam dictam contineat. Illa enim corporis conditio, iam ab ea, quae medicis secundum naturam dicitur discrepat, nempe morbosa est; itaque eo loco, ubi de praesenti morborum statu ut indicationum fonte agendum erit sui mentionem inveniatur, necesse est. Sed potius hic primum recensenda esse existimo ea, quae, quia cuique aegro propria habentur ad speciales indicationes conferunt, et plerumque nullo alio modo, nisi ex praegressae valetudinis summa possunt desumi. Omnis enim curatio statui morbo adaptari debet, nisi inanis, immo etiam noxia fiat. Eligenda igitur cuique, quae ipsi plurimum respondeat, et delectum hunc ea, quae hic refero momenta, ut propria cuique natura, temperamentum, consuetudo, vitae genus, denique aetas et sexus convenienter definiunt.

Propria cuique homini natura, vis vitae gradum et quid ipsi peculiare adsit, complectitur. Haec in diversis hominibus iam validior, iam debilior cernitur, atque qualitatis suae respectu variat, prout vel irritabilitate vel sensibilitate magis excellit. Nonnulli propterea externis causis nocentibus validius resistunt, alii a nativitate languentes, fere nunquam sanitate integra gaudent. Illi salutaribus solius naturae motibus morbis feliciter defunguntur, cum ad eos vim vitae integram, nullis causis fractam afferant, hos vero quodlibet, alioqui haud perniciosissimum malum, multo maiore magis irritabilitas an potius sensibilitas excederet, quia secundum eas morbi species differt. Igitur proprietas naturae humanae non solum ad rectam virium aestimationem in morbo non negligenda, sed etiam in eius curatione convenientium remediorum selectum proprius indicabit. Pertinet hic etiam illa peculiaris naturae conditio, quae idiosyncrasia dicitur. Definit enim singularem hominis ad totam, quae in eum agit naturam, rationem, qua peculiari, ceterum insolitae reactiones efficiuntur. Per hanc medicatrix natura in multis ad propriam, qua progreditur viam assuevit, quam medicus ignorare nullo modo debet, nam solus ab eadem decessus periculosus est: in aliis singularia medicamina longe alios ostendunt, quam quos vulgo habere solent effectus, ideoque saepe toti, ob quem eligerentur statui minus respondents.

Eodem fere modo temperamentorum diversitas ostendit rationem eam, inter corpus humanum, et quae in hoc agunt intercedentem. Si nobis ex praeteritis compertum est, quae fuerit aegrotantis temperies, antequam in morbum inciderit, iam ex eo cognoscimus quantum eandem excederit, quantumque ut restituatur fuerit elaborandum. Ex hac naturae et temperiei singularis consideratione haec exstructa est regula, quam apud Sennertum invenimus (1. C. P. 983) speciatim ad omnes temperierum differentias applicandam: «qui plurimum a naturali statu distat morbus, vehementioribus eget remediis, qui vero a naturali statu minus recessit aegrique naturae et temperiei naturali cognatus est, mitioribus curandus remediis.»

Consuetudo, quae apte altera dicitur natura, non minoris quam prima ducenda est momenti, si de instituenda ea, quae aegroto plurimum conveniat curatione

agitur.

Ad singularem hominis proprietatem respicienda pertinet, ut quae eidem inserviat usui, localis, i. e. partis vel visceris alicuius infirmitas. Hanc iam in secunda valetudinae apud plurimos conspicimus, in aegrotantibus ad veram morbi sedem eiusque originis cognitionem non parum lucis afferre notum est. Eadem monet, ut in tuenda et conservanda parte debiliori, praesertim dum nobile aliquod viscus est, curam quam maximam ponamus.

Vitae atque victus ratio, ut homines ad singulos morbos procliviores reddunt, ita cuique malo certam inprimunt naturam, hinc a medico diligentem exposcunt observationem. Quod ad earum in morbis tractandis notitiam pertinet, et haec scire decet: ex vitae genere solito parum, omnium minime vero repente aut violenter aliquid esse immutandum; omnia quae ferri posse censentur neque noxie agunt, retinenda. Nonnunquam etiam praegressi vitae generis respectu retinere quidquam cogimur, quod quamquam ad morbum procreandum contulit, tamen cito removeri non patitur, ne morbus celerius in peius ruat, sic ex. gr. vini usus in hyorope potatorum.

Aetatis atque sexus in morborum curatione rationem esse habendam, nullum obstat dubium, ideoque multis non eget verbis, ut, quanti earum aestimatio ad indicationes convenienter statuendas faciat demonstremus. Unus idemque morbus in diversis hominibus ratione aetatis variam exposcit curam. ex. gr. non idem est num febre inflammatoria homo adultus an infans laborat: in utroque quidem antiphlogistica curatio indicatur, attamen cautius institui debet in infante, quippe qui opportunior debilitati, facilius damnum exinde capere possit.

§. 7. Haec de singulari hominum statu, ut qui in capiando curationis consilio diligenter sit respiciendus, brevi monuisse sufficiat. Ad ea nunc animus adverrendus est, quae ex morbi ipsius varia conditione momenta desumuntur, ut iisdem restituendae sanitatis nitatur idea. Secundum ordinem, quem observandum proposuimus causae morbum efficientes ex iis etiam sunt, quae nobis praeteritorum notitia ostendit. Quae si aegere nondum disierint, remoreantur necesse est; nulla enim radicalis morborum curatio, sine causarum, quibus sustinentur extinctione dari potest; saepe vero his solummodo ablatis, morbi radicitus evellentur. Sic febris gastrica ex sordibus primarum viarum oborta adhibitis vomitoriis evanescit, epilepsia a vermibus cum eorum remotione desinit. Et quamquam minimae morborum circumstantiae ad curationis consilium haud praetermittendae sunt, tamen in eorum causis eruendis et removendis summa cum dilligentia elaborandum est, nam simillimi si externam respexeris faciem morbi, causarum respectu dispares, disparem curationem postulant. Quis febres ab intempestivo frigore, a crapula, aliisque causis exorientem uno eodemque modo tractare velit? Omnes morborum causae cum diversissimae sunt, ordinatim hic recenseri non possunt, et quidem labor ille propositi nostri fines sit excessurus. Earum tamen omnino mentio facienda est, quae, cum plurimos morbos provocare valeant, tum



certam eorum definiunt naturam. Huiusmodi indolis praesertim sunt *constitutio epidemica, endemica* atque *contagia*.

*Epidemica constitutio* in quadam aeris conditione consistit, praedita morbos non solum provocandi, verum etiam propria quadem indole induendi facultate. Distingui hic possunt *constitutio morborum annua, stationaria* et *epidemia specialior seu epidemiae ipsae*. Docet enim experientia, secundum varias anni tempestates maiorem iad ad morbos mere in flammatorios iam ad catarrhales et rheumaticos, iam ad biliosos exoriri propensionem. Observarunt etiam medici inde a Sydenhamo, qui primus huius rei habetur auctor, etsi variae morbi naturam definientes causae influant, proprium tamen in omnibus morbis genium conspici et eundem longiori annorum serie persistere, ita, ut omnes ex eo iterum vel ad inflammationes vel ad neurosin etc. Procliviores appareant. Haec est stationariae constitutionis, experientia comprobatae notio. Epidemiae demum morbos ex quadam universali dispositione ortos comprehendunt.

Nulla res in morborum decursum et remediorum efficaciam maiorem vim habere potest, quam ea de qua loquimur praedominans constitutio: sola enim efficere potest, ut respectu aegritudinis simillimi, variis temporibus diversam prorsus et nonnunquam contrariam curationem exposcant. Cuius notio igitur persaepe convenientis curationis inveniendae optimum exhibet auxilium, quippe quae veram morborum nuntiat indolem, quam alias ex eorum phaenomenis falsam coniecturaturi essemus. In his adeo casibus, ubi ob varias morborum complicationes certis ad naturae cognitionem destituimur signis, constitutio tunc temporis praedominans abditam investigare iuvat, et curationis modum, neglectis nonnunquam quae appareant contraindicationibus, suae indoli respondentem fausto successu institui iubet. Et quidem constitutionis illius consideratio eo maioris ducenda momenti, quod non solum in morbos, quos ipsa provocare valet, verum etiam in intercurrentes eiusdem sit potestatis. Et in prophylactica curatione haud parum utilitatis praebet; confert nimirum ad optimam in omnibus, qui dispositionem sibi opportundam possideant, morbi praecavendi rationem instituendam.

Simili modo *contagiorum* atque *miasmatum* cognitio medici circa curationem morbi inde oborti Consilium ducit. Utilior insuper apparet si de morbi post miasmatis In Corpus influxum praecautio vel de eiusdem In totum genus humanum prohibenda eruptione agitur. Ad quem finem obtinendum requiritur, ut aere instituantur, quae caecere valeant contagii propagationem, vel iam concepti extinctionem efficere, quibus iterum earum rerum, quarum confluxus contagium peperit vel parere possit ipsiusque contagii naturae cognitio inservit.

Multorum morborum pertinacitas haud raro a quadam loci, quem homines habitant conditione pendet. Quam igitur medicum novissae oportet morbo radicitus medendi finem assecuturum. Sic in pertinacibus quartanis, quae saepe paludosa region alit primum curationis requisitum erit, ut regionis illius vis nocens impediatur.

De causis ut indicationibus tantum quidem hucusque dictum est, quantum in universum licuit. Quae si amplius removeri non possint, vel si remotis illis morbus tamen perseveret, reliqua curationis consilia ex nullo alio, quam ex eo, quem morbi statum praesentem nominare solemus petenda sunt.

### **Morbi status praesens, indicationum fontem exhibens**

§. 8. Frequentissime illi casus occurrunt, in quibus indications a solis causis petendae, cum ut vix monuimus nullam habeant in radicali morborum curatione utilitatem, praetermittendae sunt. Praesens morborum status tunc observandus est, et ex eo eruenda, quae in corpora sanitati et vitae noxia removeri, quae vero opportune retineri debeant, ut his detecis sanitatis restituendae capiatur consilium. Ad haec vero sequentia referenda sunt : 1. morbus ipse, 2. vires aegroti, 3. naturae variae significationes quas vulgo instinctuum vel appetituum nomine comprehendunt, denique 4. praevaletia morbi symptomata.

§. 9.1. Morbus ipse, qui aliis etiam causa morbi proxima dicitur, est illa interna corporis conditio, qua morbosa eiusdem sistitur immutatio, qua existente morbus cernitur, ablata evanescit. Hinc eius cognitionem ad morbos radicitus evellendos inprimis conferre patet. Atque omnium etiam temporum medici in hac, quam per excellentiam radicalem curationem denominarunt, plurimum elaborare studuerunt. Neque infitiani quis potest, quodsi ars medica summam adsecuta esset perfectionem, si omnium morborum causas proximas, iisque remedia idonea opponenda novisset, ex illis solummodo curationis consilia essent haurienda. Notum nobis ex. gr. est, hydropis causam proximam in turbato vasorum exhalantium et resorbentium aequipondio consistere: euiusdum igitur restitutio generalis indicatio est, ad quam exsequendam omnia conspirare debent, quae sanitatis restituendae causa in eo morbo suscipiuntur. Desunt tamen auxilia, quae proxime expectatam illam corporis immutationem perficere valeant, ideoque generalis illa causae proximae cognitio, etiamsi in omnium morborum pathologia fuerit perspecta, sola nullam praebet utilitatem. Propius igitur et ad curationis scopum utilius, accedente morbi naturae notitia definiri debet. Sic, ut hydropsis retineamus exemplum, inquirendum est, utrum interna illa corporis laesio potius ex vasorum exhalantium repletionem, aut ex resorbentium imminuta activate pendeat, aut ut vulgo dicere solemus, utrum hydrops sthenicus sit vel asthenicus. Alterius natura cum causa proxima collata, plethorae illius remotionem exposcit, alterius vero resorptionis in corpore augmentum. Confidentum vero omnino est, proximarum causarum scientiam nostram admodum mancam esse, atque in paucis morbis perspicuam nobis internae immutationis imaginem praebere, in plurimus vero empyricam ex remediorum effectibus desumptam definitionem exhibere. Neque aliter fieri potest, cum nos internae organismi humani indolis

atque eorum, per quae vivimus fugiat notitia. Attamen hac morbi ipsius idea nullo modo carere possumus, cum ad veram morborum cognitionem ideoque perfectam curationem inter causam remotam et morbi ipsius externam faciem, utramque in mente nostra coniungens intercedat. Sed eo maior oritur necessitas, ut ex omnium, quaecunque ad morbum provocandum conferre quidquam valuerint, eorumque, quae morbus ipse signa sensibus obvia praebet, ponderatione accuratissima, seduli verosimillimam morbi ipsius indolem cognoscere studeamus.

Monendum hic esse censeo, ut in ea corporis ipsius conditione, quae causam morborum primoprimum continet, sat mature cognoscenda summam collocemus diligentiam. Prima enim morborum primordia, cum morbis simpliciora sint, facilius faustam curationem admittunt, quam morbi facti et confirmati, omnem haud raro medelam respicientes. Prophylactica praesertim curatio circa cognoscendum illam causam proegumenam, et morbos, quorum evolutioni prodesse possit praecavenos versatur, inprimis autem, si prodesse velit, indolis illius ad morbos dispositionis notionem exactissimam postulat.

§. 10.2. Vires aegroti. Auxilium, praesertim ubi praeceptum ad agendum cohortatur periculum maximi ducendum momenti, virium aegroti conditio nobis praebet. Inprimis hoc de acutis morbis plurimum valet, quippe qui naturae solo conamine persanari possunt, et nisi hoc debita ratione influat, incassum eorum curatio speranda. Quare in quolibet huiusmodi morbo perspectos habere decet tum salutare, tum ad perniciem tendentes naturae motus; oportet autem praecipue virium illarum magnitudinem recte aestimare et cum morbo ipso et eius natura comparare. In quo negotio intendendum est, ne nimis creduli aegrotorum verbis fallamur, qui haud raro se eo melius habere dicunt, quo proprius inevitabili vitae periculo accedant, aut etiam pusillanimes de minimis corporis sui affectibus immaniter conqueruntur, et demum plerisque robur imbecillum est, dum morbus viget. Tutissime de aegrotorum viribus ex iis affectibus concluditur, quos ipsae ut causae provocant, scilicet ex functione omnium activatis modo. His diligenter perspectis et cum morbi ipsius gravitate comparatis facile cognoscet, utrum morbi an naturae praevaleat potestas, num ideo vires naturae augeri, minui, conservari vel restitui debeant. Respondet vero illud consilium illi, quae vitalis nomine insignitur indicationi, nimirum cuius scopus ad servandam vel protrahendam hominis vitam proxime spectat, cuique ceteris recte aestimatis nullo alio modo suffici potest, quam ut iusto fortiores vel debiliores naturae motus, quorum utrosque virium sufficatio et exinanitio sequitur, recto tempore alteri deprimantur alteri sublevantur. Aduo tamen praesertim respiciendum est, si in illa indicatione exsequenda gravi cum detrimento offendere nolimus: scilicet ad aegroti naturam et ad varia morbi tempora. Hominis enim natura eas complectitur causas ipsi internas, quae hominis vitam continent. Quo igitur illa validior, eo facilius vel gravissimos devincet morbos, ubi medico solummodo, ne modum excedat intendendum est. Si morborum tempora respexeris, vires alio fortiores, debiliores

alio esse invenies. Initium morbi vires adhuc fortes existere notat, status vero, eas iam contra morbum pugnasse, ideoque plus minusve debilitatas esse indicit.

Quod ex virium cognitione agendum cognoscimus spectat vel earum conservationem, si morbo debellando easdem sufficientes novimus, vel si iusto maiores, minutionem, vel denique haud sufficientium restaurationem. Cantiores vero esse debemus in minuendis, quam augendis viribus, minuere enim vires omni tempore possumus, sed non omni augere. Ideoque restauratio virium, cum plerumque morbo longius duranti succumbunt, diligentissimam exposcit curam. Cuius negotii consilium, cum variae sint causae vim vitae frangentes, necessario variare debet. Inprimis autem hic respiciendum est, utrum vis vitalis efficacitati impedimentum aliquod removendum obstet, an vero vera eiusdem prostratio remedia proximae excitantia expostulet.

§. 11.3. Instinctus. Saepe in morbis naturae significationes conspicimus, quarum ad aegroti persanationem obscura ceterum nobis est ratio, quae tamen, experientia teste, convenienter aestimatae, haud raro ad aegrotorum salutem plurimum conferunt. Facultatem illam, quam praeterea in organicis corporibus procul omni rationis influxu conspicimus, quaeque in eo consistit, ut quae sibi sint salubria appetant, quae vero noxia fugiant, vulgo instinctum appellare solent. Hunc summum in animalibus cernimus, rationis veluti vices tenentem, et in hominum natura, ut quae animalis est, eo clarius procedentem conspicimus, quo magis ratio recedat ; igitur in homine naturae potissimum legibus addicto, in infantibus, in mente capitis, denique in omnibus morbis, utpote in quibus praesertim animalis pars eminent. Ex hoc fonte nonnunquam tam certi tamque utiles prosiliunt appetitus et aversiones, ut sola iis obtemperacione morbi persanationem assequimur. Salutares existere instinctus nemo inficias ibit. Quam saepe comedunt aegroti et magna quidem mole, insuperabili desiderio compulsi, res ut dicunt terreas, fausto successu, dum ceterum nulla primarum viarum acrimoniae vel acidi signa conspiciuntur. Alios in febribus acutis iusto calidiori regimine et neglecta aeris recentis cura in vita discrimine versatos, sanos evasisse medici viderunt, postquam aufugientes dintius sub frigido coelo morati essent, immo etiam in nive sese circumvolvissent. Experientia in ea re plus nimio docuit, medicum illas, de quibus loquimur naturae significationes in morbis tractandis minime despiciere debere, sibi que crebro ubi reliquis destituitur auxiliis, ex his unice indicationum elementa esse haurienda.

Attamen, si Junckeri veram respicimus hac de re sententiam, fieri etiam potest, ut in morbis instinctus illius organa morbo corripiantur, vel quod idem est, talis in morbo naturae dari potest conditio, ut ex ea appetitus ille fallax et mendosus percipiatur: ex quo facile evidendum, quanta recta ejusdem diiudicatio difficultate laboret. (Joh. Chr. Willb. Juncker Versuch einer allgemein. Heilk. Halle 1791, 2ter Theil 1ste Abthl. V. Cap. 1ster Abschn. p. 155) Regula hic usitata accuratam et diligentem exposcit perpensionem omnium, quae morbus postulet,

quaeque aegrotantis universa conditio admittat, praesertim quae eius vires ferre valeant, quae vero non. Attamen multi instinctus, quorum mitigation profuit, prorsus contradicere videbantur morbid naturae, quatenus nimirum eam medico perspicere licuit, et alias hoc, quod instinctui qua indicanti proprium est, omnino negligeretur, si eius dignitas nullo alio modo, nisi ex eius cum morbo consensus esset desumenda; cum, vel nobis superfluum foret ubi morbid naturam sufficienter novimus, vel hoc deficient et illi non obediendum. Tutius igitur erit, si quid dubii hac de re oriatur, ne temere procedamus, ea respicere momenta, quibus verus a falso cognoscatur instinctus. Huc primum verosimillima eiusdem pertinet origo. Falsus vulgo ex externis et fortuitis causis nasci solet: aeger v. g. aliquam excipit ideam in mente sua per adstantes concitatum. Neque hic praetermittendum, quatenus aegri in sanitate consuetudo vel diversarum rerum recordatio appetitui provocando inservire possit. Verus nimirum nullum cum forte agnoscit causalem nexum, sed potius salutaribus naturae conaminibus exstat intime coniunctus. Quare etiam, si urgens rei immineat periculum, cui natura sese valide opponere conatur, (et tales sunt praesertim ii casus, in quibus instinctui obedire cogimur) versus altiore gradu et vehementior apparebit neque breviori tempore, nec leviori medicina compesci poterit, omnium minime vero, ut hoc in desideriis forte concitatis conspicimus, remediis minus respondentibus falli sinet. Porro ad mitigati, illius desiderii successum simul animus advertendus est, eique eo magis obtemperandum, quo utilior, facto periculo, instituta evedat curatio. Si hoc modo omnia recte perpensa instinctuum salubritatem comprobant, neque alia certa ad agendum exstant indicantia, ab iis saltem, desideriis satisfaciens, absteineamus necesse est, quae noxia omnino manifesto appareant.

§. 12.4. Symptomata. Restat ex momentis, quae ex praesenti aegrotorum statu ad auxilia formandarum indicationum referanda sunt, urgentiorum symptomatum aestimatio. Quae cum ad morbum ipsum eandem, ut effectus ad causam habeant rationem, devicto morbo omnino sponte cessabunt. Sed rarissime in nostra positum est facultate, ut morbum, etiamsi habeamus perspectum, illico auferamus. Plurimum ob longius, pro duraverunt spatium, fortioribus insident radicibus et maiorem nacti sunt vehementiam, ita ut iam hac de causa cita corporis immutatio ad persanationem necessaria, potestatis limites excedat, cum ceterum deficient remedia indicationi huic exsequendae idonea. Hac de causa saepe elaborandum est solummodo, ut ulterius morbi incrementum impediamus. Singula vero symptomata eam habere possunt indolem, ut si diutius perseveraverint, virium consumptione morbi promoveant praevaletiam. Et eo tempore omnis labor, quo causis vel naturae morbi obviam ire conamur incassum suscipietur, nisi plurima symptomatum praevaletiam habeatur ratio. De huius argumenti veritate plus nimio convincunt vehemens frigus, nimii dolores et sitis, vigiliae, somnus nimius, animi deliquia, anxietates, varii motus convulsivi et his similia, quae fere quotidie in morborum decursu conspicimus.

Indicatio ex symptomatum vehementia deprompta, vulgo palliative, mitigatoriae rectius denominatione audit; nonnunquam tamen ubi symptomata maxime urgent ubi vitae periculum minantur, eorum remotio vitalis est indicationis negotium. Cuius generis symptoma v. G. in perniciosis intermittentibus est vehemens, quo incipiunt frigus, quod neglecta mitigatione in algorem abit apoplexiam subducentem. In aliis casibus symptomatum mitigatio, quamquam urgens inde non imminet periculum, iam hac de causa, quod primum, ex quo oriuntur sustinent morbum, magni ducenda momenti. Sic vehemens in pulmonum inflammatione tussis reactione sua ipsam inflammationem auget. Haemorrhafiae, diarrhoeae, effectus morbid in debilitate consistentis, eandem debilitatem eo magis augent, quo diutius perseverant. Alia rursus symptomata omnem morbid curationem plane impediunt, inter quae alia vi medicatrici naturae, cum crisis sanationem intendit, obstant, veluti pervigilia, vehementes dolores, alia aptis remediis applicandis impedimenta opponunt: ad haec refero impeditam deglutitionem, vomitum, hisque similia. Denique non raro observantur morbid, chronic imprimis, indolis tam pertinacis, ut ad eorum sanationem neque ab arte, nec a natura, ne ab utraque simul expectari quidquam possit. In his nihil aliud, eheu! Agendum nobis restat, quam tristem aegroti sortem pro artis facultate lenire, et breve vitae spatium si protrahere haud possimus, ut liceat faciamus iucundum. Et circa haec proprie verae mitigatoriae curationis versatur cardo. Crudelis fuerit medicus, qui in incurabili phthisis aegrotum doloribus craciatum desereret, aut nullo symptomatum habito respectu specificis hic laudatis remediis morbo mederi incassum speraret.

Attamen curatio symptomatica, cui, si symptomata eo, ut vix memoravimus modo aestimantur, summa utilitas denegari non potest, nondum in quocumque casu ubi illa eminent, statim applicari debet. Intempestive enim adhibita malum exacerbant, et persaepe, ut amplius curari nequeat, facit; si nimirum eiusdem reactiones ad morbi sanationem necessarias tollit. Hic ad evitandos errores etiam requiritur, ut nostrum circa symptomata iudicium simul morbi naturam respiciat. Dolores, ut rem succulentius, exponamus exemplo inserviant. Hos, si in inflammatoriis febribus externas afficiunt partes, si vagi sunt, neque partes corporis nobiliores tangunt, si febrim solvendae utiles esse possunt, nemo fuerit, qui omisso ad causam morbumque primum respectu mitigare velit. Denique cavendum nobis etiam quam maxime est, ne ubique plus iusto curandis symptomatibus operam navemus, et eorum extinctione seduci, iam totum morbum credamus evolutum.

Futuri aestimatio quomodo inveniendis curationibus inserviat

§. 13. Quae ad prognosin adinet, ut quae nobis in eruendis indicationibus suppeditet auxilia, summa rerum hinc profluentium in eo consistit, ut in omni



recte iustituenda curatione simul respiciamus, quid in morbi decursu eveniat, quae metuenda accidere possint momenta, quae denique subsequi immutationes praescriptorum medicaminum se quelaе. Generalis hic valet regula, omnibus, quae mala subsecutura exspectari possunt, mature obviam ire, vel saltim rem ita instituere, quae serius tempestitiva curatione adiuta noxia phaenomena tollendi vel sic finibus suis includendi nanciscatur facultatem, ut nullo aegrotum detrimento officiant. Profesto omne prophylacticum medici negotium iam eo tendit, et iuxta omnia indicantia, quae ex tota valetudinis conditione desumuntur, his quae vix exposuimus rationibus habitis multo convenientius et prosperae hominum saluti opportunius institui solet. Exemplo inserviat iuvenis, cuius corporis habitus dispositionem in phthisicam labem clare ostendit, qui tamen praeter iusto maiorem vasorum irritabilitatem nihil incommodi sentit. Iam ex eo concludere fas est, curationi prophylacticae iuxta pulmones roborandi scopum et in eo quoque elaborandum esse, ut inprimis congestionibus ad pectus eatur obviam : frigidus regimen, temperantium medicaminum usus, thoracis lotio subfrigida, sensim sensimque gelidiori aqua hoc loco indicata erunt, ad quae eligenda futuri perpensio confert. In acutis, ut vocantur morbis, cautelae illae potius ea ratione plurimum proderunt, ut medicum moneant, a quibus praesertim in curatione absteineat, quae videlicet morbi progredientis, nisi omittantur, augerent periculum, magis igitur ut adiumenta (coindicantia si simul locum haberent, nominaremus) curationis modum subtilius modulabuntur, aut prorsus qua contraindicantia semel delineatum interdicent, nisi qui urgente vitae periculo necessario exposcetur. Sic in initio inflammatoriarum febrium iusto audacior antiphlogistica curatio hoc saepe damnum afferet, ut nimis vis vitae diminuta necessarias morbo debellando solutiones nullo modo poterit proferre ; et similis noxa per longius fortasse tempus haud officiens, brevi unius alteriusve horae spatio, ubi evidentissime excellet, irreparabilis manebit. Certe non rarissimi medicorum errores hinc prosiliunt, ut sine iusta futuri animadversioe, iam ab initio in agendo modum excedant.

Deinde futuri subtilior adspectus naturae conamina, quae possint exspectari nuntiare debet, quibus viis criticas solutiones natura promovere cupiat, quibusque opportune easdem assequi posset. Atque hinc haud ultimum indicationum axilium pendet, quae recto tempore adhibitae convenientem curationem expediunt. Sic tepidae extremarum partium lotiones in morbis acutis sat mature institutae cutem saepe ad saluberrimum sudorem praeparant, quippe qui et largius et levius erumpet, atque aegrotum a criticis ut dicunt perturbationibus, funestis nonnunquam liberabit.

Denique, ut rem paucis contrahamus scire etiam confert ex subtiliori eorum, quae evenire possunt ponderatione, qui verosimillimus succedat curationis eventus, cuius administrandae consilium medicus cepit. Respectus ille curandi modo subtilius aptiusque instituendo proderit, nam instituta comparatione earum, quae ex morbi natura necessario subsequi debeant immutationum cum iis, quas efficere medicus intendit, recta procedendi via monstratur.